



## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Decisiones Practicæ Casuum Conscientiæ Selectorum In Praxi, Et Foro Interno Quotidie Occurrentium, Omnibusque, Præsertim Ecclesiasticis, Qui Sui, Et Aliorum Curam Gerunt, Perutilium, Resolutorum**

Pars Altera Decisionum Practicarum Casuum Conscientiæ Selectorum In  
Praxi, Et Foro Interno Quotidie Occurrentium, Omnibusque, Præsertim  
Ecclesiasticis, Qui Sui, Et Aliorum Curam Gerunt, Perutilium, Resolutorum

**Leonardelli, Bonaventura**

**Augustæ Vindelicorum ; Græcii, 1739**

Q. 3. An Notarius accipiens aliquid ultra pretium taxatum, etiam sponte  
oblatum, peccet, & ad restitutionem teneatur?

**urn:nbn:de:hbz:466:1-41144**

strumentum publicum requiruntur, sunt :

Primò in proloquio præmittenda est invocatio Divini nominis, v.g. *In nomine Domini, Amen*, vel in nomine *SS. & individue Trinit.* &c. ut habetur in *Const. Imper. de anno 1512. §. 3.*

2. Exprimatur tempus gesti negotii, videlicet à Christo nato, vel incarnato currens, Indictio Romana. Additur nomen, & annus Pontificis, Imperatoris, Regis, vel Principis regnantis, in cujus territorio conficitur instrumentum. Item dies, & mensis, in quo celebratur contractus. Item locus specialis, in quo legitur instrumentum, scilicet in qua Civitate, in quo pago, in qua platea, & domo &c. 3. Inscrubenda sunt instrumento nomina testium, in quorum præsentia actus celebratus est: Non autem sufficit, ut testes actui præsentés intersint, sed in contractibus, & instrumentis, quæ fiunt in scriptis, debet scriptura à Notario confecta legi coram partibus, & testibus, quia partes debent consentire in omnia substantialia, & testes debent posse deponere, quòd omnia substantialia intervenerint, quod fieri non potest, nisi scripturam legi audiverint, ut sic intelligant, & sciant, illam esse conformem intentioni contrahentium, aut testantium. 4. Apponi debent nomen, cognomen, & sigillum proprium Tabellionis, & Notariatus, si quod habet, addendo etiam

qua authoritate sit Notarius, an Pontificiâ, vel Cæsareâ &c. factum verò, seu negotium sincerè, fideliter, & integrè describere debet in instrumento cum debitis circumstantiis, & causis &c. Non tamen requiritur, ut manu propria Notarii sit scriptum, modo manu Notarii subscribatur; (nisi contrarium alicubi statutum sit, prout statutum est in Constitutionibus Synodalibus Augustanis cap. 6. ut non aliena manu, sed ipsimet Notarii scribant) quia industria Notarii non eligitur in scribendo, sed ut fidem faciat & testetur de rebus gestis, quod satis præstatur per subscriptionem authenticam, id quod colligitur ex *C. inter dilectos 6. §. instrumentum quoque h. tit.* Postquam autem verum, & sincerum instrumentum confecit, tenetur apud se servare regilstrum, ut vocant, & non dare alicui alteri, nisi transumptum aliquod, & hinc si alteri damnum obveniat, eò quòd apud Notarium non maneat regilstrum, tenetur de damno illato, ut notat Tolet. *l. c.* Unde & in *C. quoniam 11. de probat.* injungitur Notariis, ut sua originalia, seu protocolla penes se retineant, ut, si super ibidem scriptis oriatur quæstio, *per hoc possit veritas declarari.*

Ad 3. Q. An Notarius accipiens aliquid supra pretium taxatum, etiam sponte oblatum, peccet, & ad restitutionem teneatur? Petr. Navar. *l. 3. c. 3.* Bonac. *D. 10. q. 3. p. ult.*

p. ult. Reginald. l. 25. n. 694. Tolet. l. c. Rodriq. 2. p. c. 2. Fill. n. 301. & alii apud Clav. Reg. l. 12. c. 25. contra Medin. l. 1. c. 19. §. 5. & Salon. respondent, Notarium peccare quidem, si ratione scripturæ aliquid ultra præscriptum pretium accipiat, quia agit contra legem, dum lege sancitum est, ut Notarius nihil ultra taxam accipiat, etsi spontè offeratur, & etiam contra juramentum de servanda lege pretii; non tamen eum teneri ad restitutionem; tum quia lex prohibet receptionem, non tamen præcipit restitutionem rei acceptæ, nec accipientem inhabilem reddit ad acquirendum dominium; tum quia non accipit, nec retinet aliquid contra voluntatem domini, qui non dat plus invito; si tamen plus exigeretur ab invito, Lugo D. 41. sect. 2. ad restitutionem merito obligat, si taxatio sit justa; an autem sit justa, pendet, inquit, ex multis circumstantiis considerandis, & plerumque, quando leges taxantes sunt valde antiquæ, non censentur jam justæ, quia pretia rerum omnium aucta sunt; in aliquibus enim Regionibus, ut notat etiam Tolet. l. c. existunt ejusmodi taxationes secundum pretia vilissima, quia sunt antiquissima, quando tunc res minimo pretio emebantur, & tunc ipsa Officia multò mi-

nus valebant; modò autem multum valent: Unde sanctissimè, inquit idem Tolet. facerent Principes, si pretium conveniens, habita temporum, & Regionum ratione, imponerent, aut tale juramentum, quò multi illaqueantur, auferrent penitus. Unde & in Concilio Trid. sess. 21. c. 1. præcipitur, ne pro negotio Ordinis Notarius quidquam accipiat: imò nec pro dimissoriis, aut testimonialibus litteris, si habeat salarium ab Episcopo, quòd si non habeat, potest pro his accipere, sed solum decimam partem aurei.

Plures tamen sunt casus, quos affert Lugo. l. c. in quibus potest Notarius aliquid ultra pretium commune accipere; cujusmodi sunt, quando datur aliquid omninò gratis, & Notario constanter affirmante id sibi nullo modo deberi, datur tamen. 2. Quando ille, qui dat, aliàs bene scit, quantum debeat, & tamen, quia liberalis est, dat plus quàm debetur. 3. Ob laborem, & industriam extraordinariam; quia hæc est pretio æstimabilis, nec tunc aliquid ultra taxam accipi dicitur, cum pretium extraordinarii laboris à lege taxatum non fuerit.